

***Testamentum Domini Regis Jacobi I.***

Hoc est translatum fideliter sumptum a quodam alio publico translato cuius tenor dinoscitur esse talis. In Christi nomine pateat universis. Quod nos Jacobus Dei gratia Rex Aragonum Majorice et Valentie Comes Barchinone et Urgelli et dominus Montispesulani. Attendentes et considerantes attente quod omnia pretereunt preter amare Deum et sic Reges omnes et alii principes ac ceteri homines hujus mundi inspicere debent et attendere studiose ut si bene incipiunt fine laudabili et bono principium et medium vincant ac hostis humani generis eis in aliquo resistere possit minime vel nocere nec impedimentum prestare ad eternam gloriam obtinendam cum si finis non subsequeretur bonus principium nil valeret. Attendentes etiam quod nos qui sumus factura et creatura illius nostri et humani generis creatore et redemptore. Qui nos a principio de bono in melius prosperavit et nunquam opus nostrum dereliquid nec deperire sustinuit immo ipsum nostris licet non exigentibus meritis augmentans mirabiliter adimplevit merito tenemur ut bona nobis ab ipso collata recognoscamus devote sicut quando ipse dominus et redemptor noster nos ad se vocare voluerit ab hac vita animam nostram ei salvam reddere possimus et taliter de bonis nostris disposuerimus ut per ipsam dispositionem nostram custodiamus filios nostros et homines nobis subjectos a dissentione ac divissione et quod non possint inter eos dampna vel contrarietas aliquo tempore suboriri imo si aliquis vel aliqui voluerint divissionem mittere aut dissentionem inserere in regnis nostris et dominationibus nostris ipsi filii nostri sint in unum cum omnibus suis ita quod possint se ab eo et ab eis deffendere qui nollent recipere jus ab ipsis. Nec non etiam et attendentes quod omne Regnum in se divisum desolabitur secundum quod ipse Dominus in Evangelio testatur. Idcirco nos utentes verbis ipsis volumus in quantum possumus de facto nostre anime et de regnis et terris nostris nobis a Deo collatis taliter disponere divina gratia suffragante quod in posterum non valeant desolari. Hinc est igitur quod nos Jacobus Dei gratia Rex predictus in plena per Dei gratiam constituti corporea sospilate et in pleno sensu ac sana mente nostra nostrum facimus testamentum in quo eligimus manumissores nostros videlicet venerabiles Archiepiscopum Terracone et Episcopum Cesarauguste Episcopum Barchinone et Abbatem monasterii Populeti et nobiles Comitem Impuriarum et Bernardum Guillermi de Entensa quibus rogando precipimus et plenam damus potestatem quod si nos mori contigerit antequam aliud testamentum faciamus distribuant ea que inferius de bonis nostris distribui et persolvi mandamus et compleant hanc nostram ultimam voluntatem prout in presenti testamento invenerint ordinatum. Et si forte ipsi manumissores omnes executioni hujus nostri testamenti interesse non poterunt predictus Archiepiscopus cum Episcopis predictis vel altero eorum et cum illis manumissorum predictorum quos secum habere poterit exequatur et compleat hanc nostram ultimam voluntatem. In primis autem eligimus sepulturam corporis nostri in monasterio Sancte Marie Populeti et ibi nostrum corpus sepeliri mandamus juxta monumentum Illustris Ildefonsi felicis recordationis avi nostri subsequenter scilicet post ipsum monumentum volumus enim quod ejus monumentum sit prius. Item volumus et mandamus quod omnia debita nostra que reperientur nos debere uibuscumque personis cum instrumentis vel albaranis nostris solvantur per dictos manumissores nostros de plano et sine strepitu judiciario secundum Deum et forum anime. Verumtamen si manumissores nostri intelligentes nos aliqua de ipsis debitibus solvere non teneri vel nos ex ipsis debitibus aliquid persolvisse probare poteruntolucionem ex ipsis debitibus in totum vel in partem factam fuisse nostris creditoribus de debitibus que petierint ipsi creditoles recipient illud insolutum dictorum suorum debitorum quod ipsi manumissores probabunt et hostendent ipsis creditoribus nostris solutum fuisse. Item volumus et mandamus quod omnes torts sive injurie nostre quibus obnoxii tenemur et vere apparuerint restituantur de plano per dictos manumissores nostros ad cognitionem ipsorum

manumissorum nostrorum secundum Deum et forum penitentie illis videlicet quibus dictas injurias fecimus vel heredibus eorundem ipsis manifeste hostendentibus ipsas injurias nostris manumissoribus antedictis. Verum si forte apparerent aliqui conquerentes de nobis super quibusdam hereditatibus regni Valentie quas dederamus eisdem asserentes ipsas eis ablatas fuisse sine causa dicimus quod ipsis ut credimus eis non abstulimus sine causa. Quoniam cum capta fuit civitas Valentie diximus domino Ferrando olim patruo nostro et Episcopis nec non et richis hominibus ac militibus quos ibi populaveramus qui erant inter omnes trecenti et octuaginta milites quod postquam eos ibi hereditaveramus juvarent nos defendere ipsum regnum Valentie contra sarracenos ipso anno ut hereitarii eius regni. Et ipsi habito consilio ad invicem rogaverunt dictum patrum nostrum ut ipse nobis responderet pro omnibus ipsis. Qui pro se et omnibus aliis predictis dixit nobis quod rogabant nos ut inter alias gratias quas eis feceramus deberemus facere istam eis videlicet quod essemus contenti ab ipsis de trecentis mililibus quos ibi tenerent in anno sub hac forma quod de quatuor in quatuor menses tenerent ibi centum milites et nos concessimus illud eis. Et cum post hec nos iremus apud Montempesullanum et stetissemus ibi per aliquod tempus et postea ad partes Valentie redissemus non invenimus quod de predictis militibus ibi aliquos ut promiserant tenuissent nec ibi eorum aliquis remansisset nisi tantum aliqui milites qui hereditates in Aragonia vel Cathalonia non habebant. Et post predicta assignavimus diem eisdem qua venirent apud Salent ubi feceramus bastidam contra Xativam servituri nobis in guerra quam cum Sarracenis in defencionem dicti regni habebamus ratione videlicet hereditatum quas eis dederamus in dicto regno et quod parceremus et remitteremus eis quicquid nobis usque in ipsa die deffecerant dum modo manerent ibi per tres menses et ipsi nec venerunt ad nos nec loco sui aliquos transmisserunt. Et sic propter predicta emparavimus eis hereditates quas dederamus eisdem in dicto regno Valentie et dedimus ipsis aliis quare videtur nobis secundum nostram conscientiam quod pro eo quia nobis non servaverunt quod promisserant nec juraverunt nos defendere dictam terram ut superius expressum est non tenemus eis ipsis hereditates restituere nec aliquid pro eisdem. Maxime etiam quia illis qui remanserunt ibi qui ita modicos redditus ibidem habebant quod non poterant eis sufficere opportuit nos de nostris dare redditibus cum quibus possent in ea terra habere vitam congruam et decentem ut ipsa terra sine militibus nullatinus remaneret. Nichilominus etiam aliqui predictorum militum et cives quidam promisserunt nobis quod facerent in regno Valentie personaliter residenciam ratione hereditatum quas eis dederamus et quod eas non venderent vel alienarent sed darent seu dimitterent eas filiis suis sive parentibus qui ibi facerent residenciam personalem de quibus aliquid minime compleverunt imo ipsis vendiderunt et alienarunt. Fuerunt etiam aliqui populatores dicti regni qui tenebant ibi hereditates sibi a nobis datas heremas et non faciebant ibi personalem residenciam ut debebant. Et licet citati fuissent a nobis bis vel ter et assignati eis dies sufficientes voluerunt venire coram nobis ad excusandum se nec ibi facere residenciam personalem et ob hoc hereditates eis a nobis datas recuperavimus ab ipsis et dedimus aliis. Propter que non videtur nobis quod eis de predictis in aliquo teneamur. Ad solutionem vero debitorum nostrorum et legatorum infra scriptorum et restitutionem injuriarum nostrarum assignamus omnes redditus nostros civitatis Valentie cum Salinis et Albufera ejusdem et omnes redditus nostros civitatis Cesarauguste cum salinis de Castellario et de Pola et de Remolinis et cum omnibus pedagiis ipsius civitatis Cesarauguste et bajularum suarum et omnes redditus nostros civitatis Ilerde et bajulie ejusdem et omnes redditus nostros civitatis Barchinone et bajularum suarum et omnes redditus nostros ville Montispesullani. Volentes statuentes atque mandantes quod dicti manumissores nostri habeant teneant et reeipiant tot annis et tam diu omnes redditus et exitus civitatum et ville Montispesulani predictarum et aliorum locorum predictorum et bajularum suarum donec inde nostra sint debita et legata anime nostre infra scripta plenarie persoluta et nostre injurie restitute. Ita videlicet ut de omnibus debitibus legatis et injuriis prefatis persolvantur tres partes ex redditibus

et exitibus ad hoc supra assignatis spectantibus ad infantem Petrum filium nostrum. Et quarta pars persolvatur ex redditibus et exitibus assignatis spectantibus ad infantem Jacobum filium nostrum. Et quia scimus quod pedagium Cauquiliberi fuit constitutum pro faciendo Portum ibidem volumus et mandamus quod prefatus Carissimus filius noster infans Jacobus et heredes sui mittant et mittere teneantur quolibet anno in perpetuum vel mitti faciant quinque milia solidos de redditibus Cauquiliberi ad faciendum et manutenenendum et mundandum et reparandum Portum veneris. Et cum idem Porius veneris fuerit mundatus et reparatus expendantur et mittantur ipsa quinque mille solidos ad faciendum et manutenenendum portum quem nos incepimus facere in Caucolibero coram villa. Et sic predicta quinque mille solidos inter dictos duos portus expendantur et mittantur in perpetuum de redditibus Cauquiliberi supradictis ad cognitionem scilicet bominum ipsius loci Cauquiliberi et secundum quod ipsi ad majorem neverint utilitatem sedere mercatorum ac etiam loci ejusdem. Item legamus ob remedium anime nostre monasterio Populeti quinque milia morabatinorum ad solvendum debita ipsius monasterii. Quos quidem morabatinos ante alia legata anime nostre dari et persolvi mandamus monasterio antedicto. Item legamos damus cedimus et concedimos predicto monasterio Populeti et abbati ac conventui ejusdem totum plenum locum nostrum et omnia jura nostra et acciones peticiones et demandas et quicquid juris et dominationis ac dominii habemus et habere debemus in villa et terminis Vinaxie et omnibus ejusdem ac pertinenciis suis et contra detentores ipsius ville rutiōne partis vel juris nostri ejusdem qualibet ratione et abbas et conventus dicti monasterii teneatur facere aniversarium pro anima nostra singulis annis in perpetuum tali die quali ab hoc seculo transiamus. Item legamus pro anima nostra monasterio Sanctarum Crucum duo milia morabatinorum et monasterio Sexene mille morabatinos et monasterio de Casoēs ad opus clausure ipsius monasterii mille morabatinos et monasterio Vallebone ad opus clausure ipsius duo mille morabatinos. Item dimittimus pro anima nostra monasterio Scarpii mille morabatinos et monasterio de Culobres mille morabatinos et monasterio de Tresceares ducentos morabatinos. Item legamus monasterio de Regali juxta Alcalanum ad opus clausure ejusdem trecentos morabatinos et monasterio de Grantbron ducentos morabatinos. Item legamus monasterio de Peraman ad opus clausure centum morabatinos. Et dominabus Sancti Damiani domus Calatajubii centum morabatinos, El dominabus domus Ilerde ejusdem ordinis centum morabatinos. Et domanibus ejusdem ordinis domus Valentie ducentos morabatinos. Et dominabus ejusdem ordinis domus Barchinone centum morabatinos. Item legamus monasterio Benifaçani ad opus operis ecclesie ejusdem mille morabatinos et monasterio Fontis clari trecentos morabatinos. Item legamos monasterio Petregalis ad opus clausure ejusdem ducentos morabatinos et monasterio Vallesancte ad opus clausure ejusdem ducentos morabatinos. Item legamus pro anima nostra operi ecclesie domus predicatorum fratrum Osce ducentos morabatinos et operi fratrum penitencie Jhesu Christi domus Xative ducentos morabatinos et monasterio de Vayldonzella trecentos morabatinos. Item volumus et mandamus quod redditus nostri de Poolano dentur et solvantur operi Beate Marie Vallis viridis quolibet anno donec perfectum fuerit dictum opus ita tamen quod procuratores dicti operis teneantur reddere rationem de omnibus redditibus antedictis et de expensis dicti operis singulis annis manumissoribus nostris predictis. Omnia autem supradicta legata facta ad pias causas facimus pro debitibus et injuriis oblitis et pro anima nostra. Et rogamus abbates et maiores monasteriorum et ecclesiarum ac religionum predictarum quibus predicta legata facimos ut donent in mandatis omnibus presbiteris suorum monasteriorum et locorum ac ecclesiarum quod unus quisque celebret missam de requie pro anima nostra et animabus parentum nostrorum perpetuo semel in anno ea videlicet die qua nos ab hoc seculo transeamus. Post hec autem instituimus carissimum filium nostrum primogenitum infantem Petrum heredem nostrum post dies nostros in regno Aragonum et in regno Valentie et in Rippacursia et in Palars et Valle daran et in comitatu Barchinone et in dominatione quam habemus in comitatu Urgelli et in aliis locis et terris Cataloniae et in omnibus feudis que in

predictis regnis terris et locis pro nobis a quocumque et quibuscumque tenentur et teneri debent et in pleno dominio et omnibus juribus et pertinentiis suis et omnibus omnino et singulis ad dicta regna et comitatum Barchinone ac terras et loca predicta vel ad nos ex ipsis et quolibet eorum contra quascumque personas et in quibuscumque locis et terris valentibus et debentibus pertinere exceptis tantum comitatibus et locis aliis a nobis datis carissimo filio nostro Infanti Jacobo fratri suo. Item prefatum Infantem Jacobum filium nostrum instituimus heredem nostrum similiter post dies nostros in regno Majorice et insulas Minorice et Evisse et in comitatibus Rossillionis Ceritanie et Confluentis et in omnibus feudis qui comes Fuxencis et comes Impuriarum et alii etiam ibi tenent et tenere debent pro nobis et in Caucolibero et Montepesullano et toto dominio suo et castris ejusdem et in pleno dominio et omnibus juribus et pertinentiis suis et in jure et dominio que habemus et habere debemos in vicecomitatu de Carlades qui filii nostri proximo prenominati predicta omnia eis legata habeant jure institutionis prout in instrumentis particionis seu hereditamenti que fecimus inter ipsos plenius et laci continentur. Carissimam autem filiam nostram domnam Yolant Dei gratia illustrem reginam Castelle instituimus heredem in camera et ornamentiis ac aliis que eidem dedimus suarum tempore nupciarum et ipsam ex eis volumus et statuimus contentam esse de bonis nostris filios vero Philipi Dei gratia illustris regis Francie et dompne Elizabet bone memorie regine Francie filie nostre nepotes nostros instituimos heredes similiter in camera et aliis que dicte domine Elizabet dedimus tempore nupciarum et ipsos eis volumus et statuimus esse contentos de bonis nostris. Item filios nostros Jacobum et Petrum quos legitime suscepimus ex dompna Teresia Egidi de Bidaure instituimus nobis heredes in castris et villis que et quas dedimus eisdem cum cartis prout in ipsis plenius continetur videlicet Jacobum proximum predictum in castris et villis de Xericha et de Torro et in castro et villa de Eslida et in castris et villis de Beho et de Alin et castris villis de Cuhera et de Fanzara et in castris et villis de Planis et de Travacello et in almudayna quam tenebat almudinus Sarracenus quondam pro quibus duobus castris et villis de Planis et de Travacello accepimus in cambium turrem de Archos et Salinas ejusdem. Et hec castra et villas proxime nominata damus et dimittimus eidem Jacobo pro hereditate et jure institutionis. Item predictum Petrum filium nostrum et dicte dompne Teresie instituimus heredem nostrum in castro et villa de Aierba et in castro et villa de Lusia et in castro et villa de Ahuero et in villis de Liso de Artasso et de Castilione de Eust et in castro et villa de Boroca et in castris et villis de Azaner et de Cabannis et in Becinnana que omnia castra et villas cum omnibus juribus et pertinentiis suis damus et dimittimus eidem Petro pro hereditate et jure institutionis. Omnia vero jura nostra si qua in quibuslibet aliis terris preter eas que a nobis sunt superius divisae et ordinate ac ad easdem vel ad nos ratione ipsarum contra quascumque personas spectantia spectare debent ad nos qualibet ratione dimittimus et cedimus in eis locum nostrum Infanti Jacobo filio nostro heredi Majorice. Salvis tamen ordinatione et divisione a nobis factis prout superius continetur. Post hec autem volumus et statuimus ac mandamus quod si dictus Jacobus filius noster et dicte dompne Teresie ac filii ejus seu descendentes ab eo legitimi masculi in recta linea sine filiis legitimis masculis decederent omnia predicta que ipsi Jacobo supra dimittimus devolvantur ad Petrum fratrem ejus filium nostrum et de dicte dompne Teresie si vixerit vel ad filios ejus legitimos masculos si ipse Petrus tunc non viveret. Et hanc substitutionem similiter facimus de Petro predicto ad jam dictum Jacobum et ejus filios legitimos masculos super omnibus que eidem Petro jure institutionis et hereditatis dimittimus ut supra continetur si ipsum Petrum vel ejus filios seu descendentes ab eo in recta linea legitimos masculos mori contigerit sine filiis legitimis masculis. Mandantes et statuentes quod in predictis que prefatis Jacobo et Petro filiis nostris et dompne Teresie dimitimus jure institutionis non possit hereditare filia femina vel alia licet esset legitima nisi filius masculus legitimus tantum. Et si filia vel filie legitime superfuerint ex eisdem Jacobo sive Petro ille masculus vel masculi heredes ipsorum vel alterius eorundem qui ipsa hereditabunt juxta nostram substitutionem predictam ipsam et ipsas

ut decreverit maritare. Item si forte Jacobus et Petrus predicti ac filii eorum seu ab eis descendentes in recta linea legittimi masculi obierent sine filio vel filiis legittimis masculis volumus statuimus ac mandamus quatenus omnia supradicta que eis jure institutionis damus superius et dimittimus devolvantur ad dictum Infantem Petrum filium nostrum primogenitum vel ad ejus filium vel nepotem sed ad quemlibet alium ex eo legittimum masculum in recta linea descendantem qui Rex fuerit Aragonum et Valentie. Et si filia vel filie legittime vel eis vel eorum altero in hoc casu super fuerint maritande aut descendantibus in recta linea ab eisdem ipse infans Petrus vel filius seu nepos ejus aut alias ab eo descendens ut dictum est ad quem predicta devolventur teneantur eam et eas ydonee maritare et dare majori quatuor mille morabatinos auri in casamentum et unicuique uliarum tria milia aureorum. Item volumus et mandamus quod filii nostri et heredes observent donaciones quas jam fecimus Ferrando Sancii et quas fecimus Petro Ferrandi filiis nostris naturalibus secundum quod in instrumentis donationum inde a nobis eis factis continetur. Nec non etiam volumus et statuimus et mandamus quod si contigerit quod Deus avertat quod dictus Infans Petrus primogenitus filius noster vel filii ejus legittimi masculi seu descendentes ab eo in recta linea masculi legittimi sine filio vel filiis legitimis masculis morerentur regna et comitatus et alia omnia que sibi dimittimus devolvantur ad infantem Jacobum filium nostrum heredem Majorice si vixerit tunc vel ad filium seu filios ejus seu ad descendentes ab eo in recta linea legittimos masculos qui Rex fuerit Majorice et dominus Montispesullani. Et si forte predictus Infans Jacobus filius noster vel filii ejus legittimi masculi vel descendentes ab eo in recta linea legittimi masculi sine filio vel filiis legitimis masculis decederent volumus et statuimus ac mandamus quod regnum Majorice et Insule Minorice et Evisse predicte et comitatus predicti et Monspesullanus cum toto dominio et territorio ejus et omnia et singula alia que sibi supra dimittimus ad Infantem Petrum predictum filium nostrum vel ad filium seu nepotem ejus aut alium legittimum masculum ab eo in recta linea descendantem qui Rex fuerit Aragonum et Valentie ac comes Barchinone penitus devolvantur. Et si quod absit predicti filii nostri Infans Petrus et Infans Jacobus et filii ejus seu descendentes ab eis in recta linea legittimi masculi sine filio vel filiis legitimis masculis decederent volumus et statuimus ac mandamus quod regna predicta omnia et comitatus omnes predicti et villa Montispesullani cum toto ejus dominio et omnia predicta alia que eis dimittimus ut supra continetur devolvantur ad Jacobum predictum filium nostrum et dicte dompne Teresie si tunc vixerit et si mortuus fuerit ad filios ejus legittimos masculos seu descendentes ab eo in recta linea legittimos masculos revertantur. Et eo Jacobo sine filiis ejus vel descendantibus in recta linea ab eodem legittimis masculis in casu predicto defficientibus vel si decederent sine filio vel filiis legitimis masculis volumus et statuimus quod omnia regna et comitatus predicti et Monspesullanus et terre predicte omnes devolvantur ad Petrum filium nostrum predictum et dompne Teresie antedicta si vixerit vel ad filios ejus seu descendentes ab eo in recta linea legittimos masculos tunc extantes. Quo Petro filio nostro et descendantibus ab eo ut dictum est defficientibus vel decendentibus sine filiis legitimis masculis regna et comitatus predicti et villa Montispesullani cum suo dominio et predicta omnia devolvantur ad filios legittimos masculos Illustris regine Castelle dompne Yolant filie nostre cuius filii legitimis masculis defficientibus quod absit predicta omnia devolvantur ad legittimos filios masculos dompne Constancie filie nostre inferius memorate et filiis ipsius Constancie legitimis masculis defficientibus devolvantur predicta omnia ad filios legittimos masculos dompne Elizabet filie nostre Regine quondam Francie ante dicte. Et defficientibus quod absit omnibus predictis ut supra dictum est volumus et statuimus quod predicta omnia devolvantur ad illum qui nobis erit proximior in linea parentele qui tamen fuerit legitimus et masculus et descendat recto gradu de genere nostro. Insuper etiam volentes ut regna et terre que et quas dictis filiis nostris Infanti Petro et Infanti Jacobo dimittimus integra semper remancant cuique eorum et suis ut supra ordinatum est et quod diminui non possint nec transmutari in alienum dominium seu transfferri. Volumus statuimus et ordinamus quod nullus

predictorum filiorum aut nepotum nostrorum seu a nobis in recta linea descendencium institutorum aul substitutorum a nobis ut supra continetur possit in regnis et comitatibus predictis et in villa ac dominio Montispesullani et in terris et castris predictis que et quas eis ut dictum est dimittimus feminam aliquam filiam scilicet vel aliam in totum vel in partem instituere heredero nec dare etiam sibi in casamentum seu dotem aut aliter ullo modo. Nichilominus etiam mandamus ac firmiter perpetuo statuimus quod regna Aragonum et Valentie et comitatus Barchinone et omnes terre que et quas predicto Infanti Petro nostro dimittimus ut supra continetur et omnia etiam ad ipsa regna et terras ubique pertinentia et debentia pertinere quocumque modo sint semper unius et ejusdem domini et dominii scilicet regis Aragonum. Et idem filius noster Infans Petrus vel sui successores non possint ipsa regna comitatus et terras dividere inter suos filios vel filias aut in alias personas alienare sed semper ipsa regna comitatus et terre remaneant et sint regis et domini Aragonum integrer ut est dictum unum solum filium suum legitimum masculum dictus Infans Petrus et sui post ipsum successive heredem faciant in eisdem salvis substitutionibus nostris predictis. Mandantes similiter ac firmiter perpetuo statuentes quod regnum Majorice et Insule Minorice et Euisse et villa Montispesullani cum territorio et dominio ejusdem et comitatus Rossilionis Cerdanie et Confluentis predicti et Caucumliberum et alia que ipsi Infanti Jacobo supra dimittimus et omnia pertinentia et pertinere debentia ad eadem ubique quocumque modo sint semper domini et dominii ejusdem scilicet regis Majorice et idem Infans Jacobus filius noster vel ejus successores non possint ipsa dividere inter suos filios aut filias aut in alias personas alienare sed ipsum regnum et comitatus et Monspesullanus et alia que ipsi Infanti Jacobo dimisimus superius semper remaneant et sint regis et dominii Majorice integrer ut est dictum. Et unum solum filium suum legitimum masculum idem Infans Jacobus et sui post ipsum successive heredem faciant in eisdem. Salvis tamen substitutionibus nostris predictis. Item filios Infantis dompne Constancie quandam filie nostre et Infantis dompni Emanuelis fratris illustris Regis Castelle nepotes nostros instituimus heredes nostros in camera et aliis que prefate Constancie dedimus tempore nupciarum et ipsos eis volumus esse contentos de bonis nostris. Item cum presenti testamento confirmamos et approbamus omnes donaciones a nobis factas usque modo pro hereditatibus vel beneficiis quibuslibet personis et pro anima nostra ordinibus ecclesiis vel locis religiosis a nobis factas similiter usque modo. Et hec est nostra ultima voluntas quam valere volumus et statuimus jure testamenti vel nuncupativi aut codicillorum seu alterius cuiuslibet nostre ultime voluntatis. Revocantes omnia alia testamenta et quamlibet aliam ultimam voluntatem nostram que a nobis ante hujus testamenti confectionem seu ordinationem ordinatam fuerint seu confecta. Actum est hoc in Montepesullano septimo kalendas septembbris anno Domini Millessimo CCLXX secundo. Quod testamentum fuit per predictum dominum Regem firmatum et concessum presentibus nobili Bertrando de Beylo Podio domino Jaclappi Berengario de Tornamira milite Jacobo de Rocha Sacrista Ilerdense decano Valentie et notario ejusdem domini Regis Arnaldo Caynot capellano ejusdem domini Regis et Johannem de Turre fracta canonico Ilerdense testibus ad hoc spacialiter electis et vocatis et pluribus aliis et testis in ista contenti erant in curia constituti.

Signumꝝ Jacobi Dei gratia Regis Aragonum Majorice et Valentie comitis Barchinone et Urgelli et domini Montispesullani.

Testes sunt Jau-	Ermengaudus de	Guillermus Za-
fridus vicecomes	Urgio.	Cort.
Rocaberti.	Garcias de Cas-	Arbertus de Fu-
	troaciolo.	xio.

Sigꝝnum Simonis de Sancto Felicio scriptoris domini Regis predicti qui de mandato spetiali et expreso ejusdem domini Regis hec scripsit et clausit loco die et anno prefixis.

Et est sciendum quod mille morabatini supra legati monasterio Benifazani sunt jam soluti ex donatione quam dicto monasterio fecit dominus Rex de parte sua decima panis de Vallebona et Arbors Sobirans Aldeis Morelle et CCC morabatini legati monasterio Regalis juxta Alcalanum sunt jam assignati eis.

Ego Nicholal1s Petri Raymundi notarius publicus

Cesarauguste originale ut superius continetur vidi et de verbo ad verbum legi et in hoc presenti translato ut testis suscribo et hoc sig~~z~~num meum appono.

Ego Michael Petri de Berbegal notarius publicus Cesarauguste originale ut superius continetur vidi et de verbo ad verbum legi et in hoc presenti translato ut testis suscribo et hoc sig~~z~~num meum appono.

Ego Petrus Luppi notarius publicus Cesarauguste mandato Illustrium dominorum regum Petri Dei gratia Regis Aragonum et Jacobi per eandem regis Majorice qui hoc translatum cum originali testamenti domini Jacobi bone memorie Regis Aragonum quondam de verbo ad verbum probavi hoc translatum scribi feci et hoc sig~~z~~num feci.

Ego Johannesde Arcayna notarius publicus Cesarauguste hoc presens translatum a testamento illustrissimi domini Jacobi bone memorie quondam Regis Aragonum sigillato cum bulla plumbea pendent in filis circis de verbo ad verbum extraxi et propria manu scripsi cum litteris supra scriptis ubi dicitur C.III<sup>or</sup> in loco uno et dominabus ejusdem ordinis et in alio loco ubi dicitur legitimus et hoc sig~~z~~num meum appono.

Et ego dompnus J. Egidii Tarini çalmedini Cesarauguste instrumentum originale testamenti domini Jacobi regis Aragonum quondam ipsius sigillo plumbeo pendent sigillatum cum vera bulla et vero filo sive vera corda serica vidi et cum presenti translato prefati instrumenti originalis verbo ad verbum examinati legi atque probari jussi et feci et ut hoc presens translatum pro auctentico habeatur ipsum feci sigillo Cesarauguste curie sigillari. Et ego Guillermus de Ates publicus tabellio civitatis Cesarauguste scribens in curia pro dompno M. Violeta notario ejusdem curie mandato dompni J. Egidii Tarini çalmedine predicti hoc presens translatum sigillo curie sigillavi et hoc Sig~~z~~num meum apposui cum litteris supra scriptis ubi dicitur testamenti et mandato prefati çalmadine pro eo subscrispi.

(...)